19

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

PLEURITIDE.

QUAM

DEO OPT. MAX. CLEMENTER ANNUENTE

EX DECRETO ET AUCTORITATE NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ILLUSTRI SALANA

PRÆSIDE

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

VIRO

DN. GOTHOFREDO MOEBIO,

MED. D. P. P. CELEBERRIMO, ELECTORIS BRANDEBURG. ET ADMIN. ARCHIEPISC. MAGDEBURG. ARCHIATRO EMINENTISSIMO, PATRONO ET PROMOTORE PLUR. DEVENERANDO.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA OBTINENDI

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

PAUL: JULIUS CALENIUS,

Brunſv.

PROPRID. NON. DECEMBR.

Literis JOHANNIS NISII.

cIↃ IↃC LVI.

D. O. M. A.

QUandoquidem laterum dolor, febri acutæ & insigni respirationis difficultati conjunctus, sit affectus thoracis omnium ferè molestissimus & acutissimus, qui hominũ vitam invadit, nulliq; nec ætati, nec sexui parcit, quiq; atrocissima symptomatum violentiâ haud paucos jugulare, ac vitâ privare solet; operæ pretium me facturum spero, si præsente hâc disquisitione ejus naturam & essentiam investigem, atque perpendam.

Indigitatur autem hic affectus teli nomine à *Quinto Sereno* ita scribente:

Est & vis morbi, quod telum commemoratur,
Cùm subitò dolor insanus furit incitus ictu.

Et hoc vel inde, ut putat *Isidor. libr. 4. orig. cap. 6.* quòd corpus teli instar dolore transverberet: vel, uti vult *Foës. comm. in libr. 2. Hipp. de morbis*, quoniam antiqui, teste *Hipp. de morbis acutis*, ex lateris dolore repentè suffocatos ac mortuos, livoresque ad latus habentes βλητὺς, id est, ictos, seu syderatos appellârunt.

Nos relictis veterum appellationibus commune *Pleuritidis* nomen retinebimus, quod *alii* in genere pro omni laterum dolore accipiunt, & ἀπὸ τῆ πλευρῆ, sive ἀπὸ τῆς πλευρᾶς, id est, *latere seu costa* derivant, sequentes *Hippocratem*, & *Galenum*, quorum hic *2. Meth. med. cap. 2.* Ille vero *1. prognost.* Pleuritidem ἄλγημα τῶν πλευ-

ρῶν & 2. *de diæt. in acut.* ὀδύνην πλευρῶν, id eſt, laterum & coſtarum dolorem vocat. *Alii*, inter quos *Caſparus Hoffmannus lib. 3. inſtit. cap. 47.* in ſpecie per eam membranæ coſtas ſuccingentis inflammationem intelligere malunt.

Cœterùm quùm *docente Gal. libr. de Symptom. differ. cap. 1.* omnis affectus præter naturam ſit vel morbus, vel cauſa morbi, vel ſymptoma, ad quodnam horum Pleuritis ſit referenda, erit videndum.

Confitentur autem, ni fallor omnes cum *Gal. 6. aphoriſ. 33.* quod ſit inflammatio, hoc eſt, morbus intemperiei cum materia conjunctæ. Quanquam enim, ſi inflammatio convertatur per ſuppurationem in abscesſum, reſpectu tumoris morbis organicis, nec non unitatis ſolutæ haud incommodè accenſeri poſſit, attamen cùm nonnunquam diſſipetur, nullô ſequente abscesſu, partium ſimilarium morbis impræſentiarum adſcribendam eſſe ſtatuimus, & proinde

DEFINIMUS quòd ſit *Inflammatio membranarum coſtas ſuccingentium, cum febre acutâ, dolore lateris pungente, difficili reſpiratione, tuſſi, & pulſu duro, exorta ab influxu humorum.*

INFLAMMATIONEM eſſe, teſtatur *Gal. 6. aphoriſ. 33.* Et hoc inſignis calor, qui ob ſanguinis p. n. exæſtuantis influxum, ejusque prohibitam difflationem, contractamque nonnunquam putredinem ſemper adeſt; nec non aſſidua febris ex dictis malis ortum ducens, demonſtrant.

Φλεγμονὴ autem, ſeu inflammatio, hæc eſt συςροφισμὴ, ſeditioſi enim eam excitant humores, plurimorum ſymptomatum, quæ ad formalem affectus hujus pertinent rationem, auctores.

Pri-

Primum est FEBRIS ACUTA eaq; tam *Primaria secundum Senn. lib.2. prax. part.2. cap.16.* quàm *Symptomatica.* Oritur autem primaria vel à plethora liberum cordis & sanguinis motum impediente, adeoq; calidum innatũ accendente & occasionem præbente, ut sanguis cum impetu ad pleuram ruat, ibi subsistat, & inflammationem pariat; vel à cacochymiâ seu sanguine biliosô, acri & ebulliente, calidum innatum molestante, atque ad excretionem stimulante. *Symptomatica* verò ob inflammationem in parte cordi vicinâ accidit, *teste Galen. libr. 5. de loc. aff. & libr. de caus. morb.*

Præter febrem adest DOLOR PUNGENS ob continui solutionem ab intemperie, & humore distendente factam in parte membranosa acutissimoque sensu præditâ: *Gal. libr. 1. cris. cap. 5.* Fortes obstructiones in pleuræ vasis suum hîc addunt symbolum.

DIFFICILIS RESPIRATIO accidit ob ingens incendium, & angustiam pectoris: tumor enim & dolor prohibent, quò minus ægri thoracem & pulmones liberè dilatare possint. Respiratio autem frequens est & parva, conante natura duobus motibus explere, quod uno propter punctiones non potest.

TUSSIS in principio plerumque sicca adest, & à vaporibus, vel sero exsudante, asperamque arteriam vellicante & ad expellendum quod sibi noxium, irritante producitur. Cùm autem illud serum tenuius, quam ut per tussim attolli aut elevari possit, ideò nihil exscreatur. Hoc eleganter exprimit *Galen. libr. 2. de cris. cap. 10.* hisce verbis: *Tussiet igitur statim homo, non statim tamen spuet, sed siquidem multum ac crassum ab inflammatione defluxerit, cum tussi exspuet, si vero paucum & tenue, irritabitur quidem necessariò, ita ut tussis moveatur,*

non tamen exſpuet , antequam collectum ſimul ac concoctum ad multitudinem craſſitudinemque pervenerit.

PULSUS denique durus, & ſerrans, ſeu potius inordinatus oritur ab ebullitione humorum & obſtructione arteriarum in Pleurâ. Sicuti enim in illis, quæ igni moderato apponuntur, ebullitio uniformis conſpicitur, ita in corpore humano quamdiu calor naturalis perſiſtit, æqualis & moderatus adeſt pulſus: igne verò culinari aucto, ebullitio intenditur; pari modo præter naturam in nobis aucto calore pulſus immutatur.

SUBJECTUM adæquatum plerique membranam coſtas ſuccingentem Pleuram ſtatuunt: cùm enim, *docente Sennerto libr. 2. prax. part. 2. cap. 16.* dolor ſit adeò vehemens, ut ægri quaſi terebrâ latus perforari conquerantur, neque hic coſtis, quæ omni ſenſu deſtituuntur, neque earum membranæ quæ ob nimiam tenuitatem ac venarum parvitatem & exilitatem tantam inflammationem ſuſcipere non poteſt; neque ipſis muſculis, qui ſenſum adeò exquiſitum non habent; neque ſoli pulmoni, qui ipſe non ſentit, niſi parum ratione membranæ ambientis, is competere poſſit; propterea in membrana coſtas ſuccingente eum conſiſtere credimus, & hanc pro primario Pleuritidis ſubjecto agnoſcimus, *Herophilum*, teſte *Hier. Mercurial. libr. 2. de thorac. affect. cap. 6.* ſolum pulmonem pro loco affecto agnoſcentem, repudiantes.

An verò ſola hæc membrana inflammetur, an verò ſimul pulmones, & muſculi intercoſtales, controvertitur. *Felix Platerus* quidem *libr. de dolorib. cap. 3.* ſemper Peripneumoniam Pleuritidem comitari ex ſectione Pleuritide mortuorum ſe deprehendiſſe teſtatur,

& insuper has pro stabiliendâ suâ sententiâ adducit rationes: quòd nimirum sanguis, quem tàm citò ægri exscreant, à succingente membranâ inflammatâ, tàm subitò præsertim, ad pulmones pervenire, eosque ad exspuitionem irritare non possit, sed potiùs si inde emanaret, in thoracis cavitatem materiam defluxuram, & ibi empyema facturam existimat. Et licet concedat succingentem tunicam quandoque solam inflammari, tamen talē Pleuritidem in quâ cruenta & purulenta ejiciuntur, inde fieri non concedit, cum succingens membrana se eò exonerare nequeat.

Verumenimverò etsi negari non possit, sæpè cum Pleurâ pulmones simul inflammari, semper tamen & necessariò hoc fieri non credimus, neque à *Platero* adductas rationes satis firmas judicamus. Non enim adeò admiranda erit subita illa exscreatio, si sanguinem transsudare nobis persuaserimus: sed esto, transsudationem non fieri, attamen sanguinem sub humoris quoque specie membranas transilire haud impossibile videtur, nam præter *Galen. libr. de tumorib.* observantem pertenues nostrumque conspectum effugientes oculorum venulas in inflammationibus valdè inflari ac rubere, ipsa quoque testatur experientia, tenuissimas nonnunquam fibras ita dilatari, ut valdè pateant, nec non sanguinem ex venis capillaribus sponte apertis satis copiosè effluere. Quod si igitur in oculorum aliarumque partium venulis hoc accidat, quid mirum idem quoque in illis, quæ ad Pleuram abeunt, venis fieri.

Alterum Plateri argumentum non majoris videtur esse ponderis. Materiam enim membranam transientem, delabi in cavitatem pectoris, maximè quidem,

verum est: at exinde iterum in validâ respiratione, ab hiantibus asperæ arteriæ ramulis, attrahi, *Galen. libr. 5. de loc. aff.* exemplo, quo mulsa cavitati pectoris infusa statim tussi rejecta est, & æger aquæ mulsæ saporem deprehendit, probat, & *Fernel. libr. 5. de part. morb. & sympt. cap. 11.* modum quo purulenta sputa membranam transiliant, iterumque pulmonem subeant, eleganter describit.

Hæc autem *Galeni* & *Fernelii* sententia veritati satis congrua apparet. Cùm enim, (si quidem *Spigelio libr. 9. de human. corp. fabr. cap. 10.* & *Veslingio in Syntagm. anatom. cap. 11.* credendum) trachæa venas à jugularibus externis, arterias verò à carotidibus accipiat, arteriæque asperæ nullam cum levibus habeant communionem, quod *Nobilissimus, Amplissimus & Excellentissimus Dn. Rolfincius, Patronus meus venerandus, libr. 6. cap. 23. dissert. anatomic.* luculentissimis rationibus demonstrat, utique omnem humorem in trachæam vel desuper destillare, vel per transsudationem eam subire, vel ex cavitate pectoris per porosam pulmonum membranam attrahi, quod postremum hoc in Pleuritide fieri *Nobiliss. Dn. Præs. Instit. medic. disp. 9. t. 5.* probat, statuendum erit: tantam enim vitiosorum humorum saburram ex Pleura retrogredi in venam cavam, exinde in dextrum cordis ventriculum, ex hoc iterum per venam arteriosam & arteriam venosam in sinistrum, ex hoc denique per aörtam & carotidas in trachæam transportari, nemo sibi facilè persuadere poterit. Per jugulares verò venas ex cava non posse ascendere, satis clarè *Ampliss. Dn. Conringius libr. de mot. sangu. cap. 26.* probat. Transsudatione autem tantam humorum copi-

am pulmonum ſubſtantiam ſubire credibile non eſt.

Inquirendum porrò, an muſculi intercoſtales ſemper ſimul inflammentur, nec ne? *Gal. libr. 5. de loc. aff. cap. 3.* hoc innuere videtur ita ſcribens: Quando muſculi intercoſtales laborant, pleura ipſis conſentit & inflammatur: vice versâ, quando pleura primaria affectione laborat, muſculi interni cum ipſa conſentiunt. Quanquam autem hoc ob ſummam dictarum partium viciniam utplurimum fieri ſit probabile, ſemper tamen neceſſarium non eſt, ſed membranæ interdum læduntur muſculis ſalvis, & vice verſa muſculi ſalva Pleura. Nam ſi inflammatio membranæ, & inflammatio muſculorum diverſa præbeant ſigna diagnoſtica, una quoque absque altera perſiſtere poterit. Diverſa autem ſigna proponit *Gal. 6. aph. cap. 5.* Si mediocris, *inquiens*, fuerit dolor, & præterea non pungat, ut qui in membrana ſuccingente eſt, neque ad claviculam pertingat aut hypochondria, poteſt carnoſis coſtarum partibus patientibus fieri. Eadem hæc enarrat *Victor Trincavell. libr. de curand. corp. aff. part. cap. 3.*

Progredimur nunc ad CAUSAM quæ vel *Proxima* eſt vel *Remota*. PROXIMA inflammationis cauſa eſt ſanguis copioſus & nimium calidus per pleuram diffuſus.

Intelligimus autem ſub nomine ſanguinis non tantum humorem purum, κατ᾽ ἐξοχὴν ita vocatum, ſed quoque bilioſum, pituitoſum & melancholicum, quorum bilioſus quidem ob tenuitatem ſæpius, pituitoſus rarò, melancholicus rariſſimè hujus morbi cauſa exiſtit. *Hipp. lib. de loc. in homin. & libr. 1. & 3. de morb. Ga-*

len. 6. aphorism. 33. Minime quoque excludimus sanguinem serosum , quippe qui sæpissime teste *Carol. Pison. libr. de illuv. seros. observ. 6.* pleuritidem inducat, ideò quod pronus ad fluxum, ratione seri plurimi adfusi : & inflammabilis ratione calidi in sanguine abundantis. Sanguinem autem semper prævalere, cum hic affectus sit inflammatio, hæc autem qua talis primariò à sanguine ortum habeat, affirmamus.

REMOTIORES causas quod attinet, illæ considerandæ veniunt, *primo*, quatenus huic affectui materiam præbent. *Secundo*, quatenus materiam movent & influxum causantur. *Tertio*, quatenus partem affectam ad recipiendum aptam reddunt.

De PRIMI GENERIS CAUSIS res plana est , & sunt vel INTERNÆ, ut *temperies* cordis & hepatis calida, plethoræ vel sanguini calidiori generando apta: vel EXTERNÆ ut *Aër* æstuans, frigidus, pluviosus, &c.

SECUNDI GENERIS CAUSÆ pleniorem requirunt indagationem. Cum enim influxus humorum sit motus, primò investigandum erit à quo fiat principio Interno videlicet an Externo. Moventur autem à principio interno , gravia deorsum, levia sursum , cœlestia in orbem , quo etiam pertinent illi rerum motus , qui fiunt ne detur vacuum, item motus ferri ad magnetem. Hoc verò modo non fieri motum in inflammatione probatione vix indigere puto : nemo enim sanguinem innatâ sibi gravitate venarum satis densam & firmam substantiam perterebrare, nedum membranam tam firmiter costis annexam solâ gravitate divellere, multo minus propter vacui metum, quod non datur, vel propter

co-

cognationem huncce motum fieri sibi persuadebit. Manet igitur, quod influxio fiat motu violento & ita à principio externo.

Cœterum horum motuum quatuor esse species docet *Aristot. libr. 7. phys. t. 10.* tractationem nimirum, pulsionem, vectionem & vertiginem, quarum quæ hic locum habeat, videbimus.

Galenus hac in re sibi constare non videtur, nam *libr. de caus. symptom.* pulsione, *libro vero 2. de diff. febr.* tractione fieri & causam attractionis calorem utpote naturâ humores attrahere aptum, nec non dolorem statuit, quam sententiam plurimi clarissimi viri, *ut Capivacc. libr. 2. de aff. med. ventr. cap. 3. Heurnius libr. de morb. pector. cap. 2. Duretus comm. in libr. 1. cap. 6. Hollerii. Senn. libr. Instit. 2. part. 2. cap. 19. & libr. 5. prax. part. 1. cap. 2.* amplectuntur.

Verumenimverò, si rem penitius inspiciamus, hancce opinionem multis difficultatibus obnoxiam esse reperiemus. Nam *primò*, si quæratur, quænam sit causa intemperiei? omnes confiteri cogimur, influxum sanguinis calidissimi eam statuere: si autem hoc verum, influxus ut causa, prior esse debet intemperie ut causato: quod si iterum verum, calor ut posterior influxu, non poterit ejus causa esse. *Secundò*, quicquid humores elevat ac resolvit illud non attrahit, sed calor hoc facit. E. *Tertiò* calorem non attrahere ad se humorem docent evidenter, quæ in rebus externis apparent, *ut loquitur Argenter. libr. 2. de caus. morb. cap. 6.* siquidem videmus lintea humida & humore irrigata exsiccari cum igni admoventur, non quod ad ipsum

ignem humor feratur vi caloris attractus, cum purissimus & humoris expers maximè sit aër, qui igni est propinquissimus; sed quod humor ab igne excalefactus in vaporem mutetur, qui suapte natura sursum attollitur & non versus ignem movetur. Mechanice insuper calorem humidum non attrahere hoc modo probari potest: capiat quis retortam vacuam, eamque imponat vel balneo vel arenæ, postea ejus rostro adjungat cucurbitam, seu aliud vitrum aquâ repletum, luto commissuras claudat & ignem lege artis accendat, tunc videbit quod neque primo neque secundo nec cœteris ignis gradibus vel guttula nedum plus in retortam attrahi poterit.

Videamus autem porrò, an *dolor* hoc faciat? Et *Galenum* quidem cum multis aliis hoc statuere ex superioribus patet, huncque solam, *Fabric. Hildan. libr. de ichor. & meliceriâ* attractionis causam agnoscit. Si verò & hanc sententiam aliquantum accuratius pensitemus, neque illam satis firmam esse patebit: Cum enim *docente Clariss. Coringio libr. de motu sang. cap. 49.* Dolor sit tristis sensio, cum appetitu fugæ conjuncta, quomodo ille quidquam ad partem dolentem attrahere poterit? *Secundo* apud omnes in confesso est, causam doloris esse continui solutionem, solutionis autem continui causam internam, influxum humorum, quod si verum, dolor erit posterior influxu, ideoque non ejus causa. *Tertio* si dolor est symptoma influxus, non poterit ejus causa esse: esse autem symptoma influxus affirmat *Gal. libr. 2. ad Glaucon. cap. 2.* *Quarto* dolor irritat facultatem, *teste Argenter. lib. 2. de caus. morb. cap. 6.* quæ au-

autem irritant, facultatem ad expellendum movent non ad attrahendum, id quod ostendunt vomitus & aliæ excretiones, quæ fiunt dum facultas stimulata expellendo adversus id, quod molestat, insurgit. *Quinto* si dolor attraheret, semper ubi esset dolor, hoc faceret, & influxus cum inflammatione fieret, in puris autem corporibus hoc vel nunquam vel rarissimè fieri ipse *Fabric. Hildan. libr. de ichor. & melic.* confitetur. Manebit itaque fluxionem non fieri attractione, sed potius pulsione, tantumque calorem & dolorem, multiplicatione vel rarefactione meatuum, fluxioni ansam præbere.

Cœterum cum in omni violento motu, & per consequens in pulsione quatuor sint consideranda, Movens nimirum, mobile, terminus à quo, & terminus ad quem, de his ordine agemus.

MOVENS igitur statuimus animam seu calidum innatum, quæ synonyma esse docet *Casp. Hoff. lib. 2. instit. cap. 4. & 149.* Quanquam enim *Galen. cum suis sectatoribus* statuat, omnem pulsionem fieri beneficio facultatis expultricis ope fibrarum transversarum operantis, ei tamen assentiri non possumus cum à *Cl. Conringio tract. de mot. sang. cap. 9. & 41.* venarum fibras neque contrahi, neque moveri, adeoque nec venas movere, sed tantùm tutelæ gratiâ ne facile rumpantur conditas esse, *ex Fallopio, Vesalio, Euestachio, Bauhino & aliis præclaris anatomicis* fusè demonstretur.

MOBILE secundum *Gal. libr. de causis morb.* est sanguis vel ratione quantitatis vel qualitatis peccans, moventemque causam ad expellendum, vel quantitate vel acrimonia stimulans

TERMINUS à quo communiter venæ ſtatuuntur. Verùm ſi circulationem ſanguinis attendamus per arterias potius id fieri exiſtimamus. Ab axillari arteria per ramũ thoracicum ſanguis ad pleuram poteſt deponi: ſi tamen venæ obſtruantur & ſanguis exinde regurgitet etiam ex iis hoc modo per accidens affluxus fieri poteſt. Imò credibile naturam interdum venis abuti, & per eos aliquid ad partes mittere.

TERMINUS AD QUEM eſt duplex illa membrana coſtas ſuccingens, quarum altera denſior & compactior, altera minus firma & debilior. Quæ enim interiùs thoracem cingit, robuſta eſt: quæ verò ad coſtas ſpectat, firmiterque his alligatur, minus craſſa exiſtit.

Requiritur autem à *Gal. libr. de cauſ. morb. cap. 14.* in parte recipiente, ut vel ſanguis abundans vel vitioſus recipiatur, IMBECILLITAS quædam, ſeu potius aptitudo recipiendi, quæ unde in Pleurâ oriatur inquirẽdum erit.

Galenus libr. de cauſ. morb. cap. 7. eam vel ab errore in prima formatione, vel morbo originem trahere aſſeverat; aſt hoc non ſolùm ſufficere, ſed aliud quid, cujus ope Pleura tam firmiter coſtis annexa divellatur, requiri credimus. Eleganter autem hoc deſcribit *Hippocrates libr. 2. de morb.* haud procul à fine, ſequentibus verbis: Ἡ μὲν πλευρῖτις γίνεται ὁκόταν πόσιες ἀλέες τὲ καὶ ἰσχυραὶ κάρτα λάβωσι. Διαπερμαίνεται γὰρ τὸ σῶμα ἅπαν ὑπὸ τοῦ οἴνου καὶ ὑγραίνεται. μάλιστα δὲ ἥ τε χολὴ καὶ τὸ φλέγμα. Διαπερμαίνεταί τε καὶ ὑγραίνεται. Καὶ δὴ τούτων κεκινημένων τε καὶ ὑγρασμένων συνκυρήσει ὥστε ῥιγῶσαι μεθύοντα ἤν τε νήφοντα, ἅτε ἐὸν τὸ πλευρὸν ψιλὸν φύσει σαρκὸς, μάλιστα τοῦ σώματος καὶ οὐκ ἐόντος αὐτῷ ἔσωθεν τοῦ ἀντιστηρίζοντος οὐδενὸς ἀλλὰ κοιλίης, αἰσθάνεται μάλιστα τοῦ ῥίγεος. Καὶ ὁκόταν ῥιγώσῃ τε καὶ ψυ-

ψυχθῇ, συνέλκηταί τε καὶ δυσπᾶται ἥ τε σὰρξ, ἡ ἐπὶ τῷ πλευρῷ καὶ τὰ φλέβια. καὶ ὅσον τε ἐν αὐτῇ τῇ σαρκὶ ἔνι χολῆς καὶ φλέγματος, ἢ ἐν τοῖσιν ἐν αὐτῇ φλεβίοισι, τοῦτο πολλὸν ἢ πᾶν ἀποκρίνεται ἔσω συνωθεόμενον πρὸς τὸ θερμὸν πυκνουμένης τῆς σαρκὸς ἔξωτεν. Καὶ προσπήγνυται πρὸς τῷ πλευρῷ, καὶ ὀδύνην παρέχει ἰσχυρὴν καὶ διαθερμαίνεται. Καὶ διὰ τῆς θερμότητος ἄγει ἐφ' ἑαυτὸ, καὶ ἀπὸ τῶν πλησίον φλεβῶν καὶ σαρκῶν, φλέγμα τε καὶ χολήν. Quod Foëſ. ita interpretatur: *Oritur quidem pleuritis, cum potiones copioſæq; & validæ admodum corripuerint; totum enim corpus incaleſcit & humectatur à vino, præcipuè verò bilis & pituita tum incaleſcit tum humectatur, quibus ſanè commotis & humectatis, temulentum ſive ſobrium rigore corripi continget, præſertim cum latus ex reliquo corpore præcipuè carne nudatum ſit, neque quicquam habeat intus quod renitatur præter ventriculum, ideoque maxime rigorem ſentit: Cumque rigorem ac perfrigerationem ſenſerit, tum caro quæ eſt in latere tum venulæ contrahuntur ſeu convelluntur, & quicquid in ipſa carne, aut in ejus venulis bilis & pituitæ ineſt id magnâ ex parte aut totum intrò ad caliditatem compulſum, carne extra condenſatâ ſecernitur & ad latus impingitur doloremque vehementem excitat & incaleſcit, propterque calorem ad ſe ex proximis venis & carnibus pituitam & bilem trahit.*

Quibus ritè conſideratis confitebimur, *Johannem Baptiſtam Helmontium in tractu ſuo quem Pleura furens inſcribit*, nihil novi, neque ab Hippocraticâ doctrinâ alieni adferre, quando, poſtquam archeum ſeu animam, movens in pleuritide poſuit, tandem apoſtematis cauſam occaſionalem, ſtatuit rigorem ſeu convulſionem Pleuræ ab acri & acido humore quem Laticem vocat

exci-

excitatam. Verba ejus hæc sunt: *Latex acescens in carnes intercostales incidens facit dolorem Pleuriticum, non autem verum & constantem affectum, sed mox leviculo remedio difflabilem, per insensiles nimirum transpirationes. Hæc vero aciditas confestim dolores parit: doloris autem proprius comes convulsio, in quâ convulsione pulsus antea latens manifestatur, indurescit arteria & comitatur dolor. At quia convulsio plerumque per intervalla tenditur ac remittitur, hinc fit, quod quoties Pleura spasmum suum proprio motu Blas intendit, toties aliquid fibrarum laceratur à costis: dumq; se vel tantillum remittit, accurrit cruor vicinus in locum rugarum contrahendo fracturam. Hocque iteratis vicibus est causa apostematis magni juxta frequentiam & asperitatem contracturarum.*

Sequuntur Causæ Externæ quæ triplicis sunt generis: præbent enim vel materiam, vel movent eam, vel pleuram ad recipiendum aptam reddunt. Ad Primum Genus pertinent, quæ vel Plethoram causantur, ut *Cibi* boni & multi nutrimenti, *exercitatio* moderata, & consuetarum vacuationum retentio: Vel sanguinem vitiosum & acrem producunt, ut *cibi* calidi, acres, nimius aromatum usus, *aër* calidior, nimia *exercitatio*. *Secundo*, Sanguinem Turbant & motorem ad expellendum irritant, *Motus* tùm animi tùm corporis vehementes, nimius *teste Hipp. libr. de loc. in hom.* ambiens calor & frigus, quorum hic, *referente Celso l.4. de re med. cap. 6.* comprimendo, ille liquando fluxiones proritat: *Æstas* præterea, & autumnus pluvialis, *Hipp. lib. de aër. loc. & aqu.* *Tertio* Partem Affectam ad recipiendum Disponunt *Tussis*, quâ præsente pectus vehementer concutitur, & membrana à costis dissolvitur, divulsa ve-

rò

rò humore repletur. Deglutitio rei pectori inimicæ, quod constat *ex Cels. lib. 4. de re medic. cap. 6.* & confirmatur à *Petro Phrygio comm. in libr. Epid. Hipp. part. 3. ægrot. 8.* exemplo cujusdam qui frustum fœni dum in ore teneret & masticaret, minimè advertens illud deglutivit, hocque modo pleuritidem incurrit, nec pristinæ sanitati restitui potuit, donec prius frustum illud fœni per tussim excreverit. Huc quoque referri possunt *frigus* utpote pectori inimicum, ictus, casus, contusio, potus frigidi. &c.

DIFFERENTIÆ causas excipiunt. RATIONE GENERIS alia est *Legitima* seu exquisita, cujus *Aët. tetrabibl. 2. serm. 4. cap. 64.* meminit: & *spuria*, quam *idem loc. citat. cap. 65.* describit, quod sit affectio quæ videatur esse Pleuritis, cum non sit, eamque occupare infernas costas, & aut nullam aut satis modicam habere febrem adjunctam. His adnumerat *Petr. Phryg. comm. in Epid. Hipp. part. 3. ægrot. 8.* eas pleuritides, quæ in rusticis tempore vernali, & hyemali à destillationibus excitantur, & in quibus crassa admodum expuuntur, neque febris insignis accenditur. *Deinde* respectu *moris* alia malignitatis est expers, alia ejusdem particeps & epidemia.

Ratione SUBJECTI variæ reperiuntur differentiæ: alia enim est in latere dextro, alia in sinistro, alia in mediastino, cujus exemplum refert *Petr. Forest. lib. 16. obs. 28.* Alia quoque est ascendens, alia descendens, *Hipp. libr. 2. acut.* Interdum sola pleura, nonnunquam verò musculi intercostales, & pulmones simul afficiuntur.

Respectu CAUSARUM alia est à sanguine puro, alia à bilioso, pituitoso, melancholico, seroso. Interdum etiam flatus hunc morbum quamvis spurium producunt,

eunt, quoties nimirum inter membranas se inserunt, easque à vicinarum partium adhæsu distendunt ac divellunt. *Fernel. lib. 5. de part. morb. cap. 11.*

Pergimus ad SIGNA, quæ sunt vel *Diagnostica*, vel *Prognostica*, & illorum quidem alia *affectum ipsum*, alia *partem affectam*, alia *causas* monstrant, alia denique *præsentem ab aliis* affectibus discernunt.

PRIMI GENERIS seu pathognomonica signa traduntur à *Gal. libr. 12. meth. 7.* & sunt febris acuta, dolor lateris pungens, difficilis respiratio, tussis, pulsus durus & serrans. Habentur autem à *Galeno* tam firma, ut scientifica appellare audeat. Idem fit à *Carol. Pisone. libr. de illuv. seros. obs. 61.* scribente, quod non sit difficilius ex illorum syndrome pleuritidem designare, quàm ex literarum conjunctione vocabulum formare. Hisce contradicit *Casp. Hoffm. libr. 3. inst. cap. 49.* eò quod sibi de singulis dubia occurrant. Ejusdem sententiæ est *Zacut. Lusit.* referens, non semper FEBREM acutam adesse, sed interdum diariam, interdum adeò pusillam, ut vix à Medico agnosci possit, interdum plane nullam. *libr. 2. M. P. Hist. cap. 19. qu. 15.* & confirmat hoc *Hist. 20. dub. 12. testimonio Wieri libr. obs. 202. & Cardan. libr. de veneno.*

DOLOREM quoque in maligna, & cum delirio conjuncta pleuritide delitescere *idem Zacut. lib. 2. prax. hist. cap. 3.* innuit.

Similiter RESPIRATIONIS difficultatem, præsente delirio, non percipi, sed magnam, ac raram esse, *ex Galeni 1. de diff. respir. 12. Zacut. Lusitan. loc. cit.* refert.

TUSSIM denique & PULSUM serrantem *Zac. Lus. loc. allegat. & lib. 2. MP. H. 65. dub. 37.* in dubium vocat,

pul-

pulsum hunc vix aut prorsus non perceptibilem esse affirmans.

PARTEM AFFECTAM dolor & situs doloris ostendunt, nec non causæ juvantes: magis enim *inquit Hipp.* illi, quibus suprema membrana inflammatur, quam alii venæsectione levantur. Quod si musculi inflammationem patiantur, vel cum illis etiam exterior membrana, tactu & nonnunquam visu deprehenditur inflammatio, sine vehementi febre tussi & dolore. Dolor quoque si spirando magis sentitur, musculos internos, si verò exspirando, externos gravius laborare arguit. *Argenter. lib. de consult. rat.*

CAUSAS monstrantia signa petuntur à temperamento ægri, ipsius ætate, victu, vitæ genere, anni tempore, regione &c. & fusè enarrantur à *Foresto lib. 16. obs. 23.* Inprimis autem causam patefaciunt *sputa*, quorum secundum *Gal. libr. 2. de diff. febr. 9.* spumea & albida pituitam, rubida sanguinem, pallida bilem, causam pleuritidis esse denotant. A *flatibus* verò ortam demonstrant febris absentia, dolor vagus, & per intervalla tantum affligens, tussis, sitis, & calor mitior.

Signa DISCERNENTIA varia sunt: *Spuria* enim à legitima distinguitur febre, quæ vel non est acuta, vel diaria, vel nulla, præterea respirationis difficultas, & tussis non adeò sunt molesta, dolor quoque adest mitior, nec pulsus percipitur adeò tensus ac durus.

A *Peripneumoniâ* differt doloris situ & qualitate; in pleuritide enim dolor pungens est & circa latera percipitur, in Peripneumonia verò obtusus & medium thoracem occupans.

In *jecoris inflammatione* dolor infra hypochondria descendit, *Gal. 2. de loc. affect.* magisque in dextro sentitur latere, neque est punctorius. Alvi excrementa subcruenta & loturæ carnium similia apparent.

Affecto diaphragmate, abalienatio mentis statim in principio adest, sequentibus aliis symptomatibus, in pleuritide rarò, imò, teste *Avicennâ*, non nisi morte instante.

Mediastini phlegmonem ostendunt dolor anterius usque ad ossa pectoris & collum transiens.

Malignitatem arguunt, grassationes morborum malemoratorum, frigiditas extremarum partium, pulsuum obscuritas, & debilitas, subitus virium lapsus.

PROGNOSIS affectus eventum concernit, & complectitur signa 1. *Salutis* & *mortis*. 2. *Longitudinis* & *brevitatis*. 3. *Modûs eventûs*.

Signa igitur salutis & mortis si considerentur RATIONE GENERIS, Pleuritis, ut inflammatio cordi vicina, est morbus acutus: *Hipp. libr. 1. de morb.* & periculosissimus, ac mortiferus, non tantùm iis, qui imbecilles sunt viribus, sed etiam, qui valentiores ipsis sunt. *Gal. libr. 10. meth. med. 5.*

RATIONE SUBJECTI dextræ lateris phlegmone minus periculosa habetur ab *Avicenna libr. 3. Fen. 10. tract. 4. cap. 1.* quòd cordi non adeò sit vicina, ac lateris sinistri. Huic assentitur *Zacut. Lusit. MFH. 18. quæst. 19.* ibidem ad *Vallesii* pro contrariâ sententiâ allatas rationes respondens. *Hieron.* verò *Mercurial. lib. 2. de aff. thorac.* ventilans hancce quæstionem, distinguit inter affectus, symptomata, & curationem; dextræque lateris inflam-

flammationem ratione symptomatum, quæ ob viciniam jecoris majora adsint, & ratione curationis per suppurationem, deteriorem esse quam lateris sinistri, asseverat, ideò quod, *secundum Hipp. libr. 2. de morb.* in latere sinistro tutius & facilius secari & uri possit. Ratione verò curationis per resolutionem, dextri lateris esse minus periculosam, cùm ob partis caliditatem materia facilius resolvatur. *Nos Nobilissimum Dn. Rolfincium libr. 2. Epitom. cogn. & curand. aff.* sequentes, parvam periculi, sive dextra sive sinistra sit Pleuritis, differentiam *statuimus*, quoniam utraque cordi, utpote in medio pectore ferè collocato, est vicina. Ascendens porrò descendente est pejor, *Hipp. coac. prænot. 381.* quod *Zacut. Lus. MPH. 12. quæst. 15.* acriter contra *Petrum Vascum Gastellum* defendit.

Ratione Causæ Pleuritides à seroso sanguine ortas omnium facillimas judicat *Carol. Piso libr. de illuv. seros.* ideò quod serum quam optimè per insensilem transpirationem resolvi, & sensibiliter quoque per sudorem evacuari possit. Mitiores deinde esse fluxiones sanguineas, pòst pituitosas, biliosas, & melancholicas, *Hipp. 2. prognost.* scriptum reliquit. Et quanquam *libr. 3. de morb.* lateralē morbum biliosum, mitiorem cruento statuat, de vehementi tamen cruento hoc tantum intelligendum esse, *ex loco citato*, colligere licet. Neque est quod objiciamus, bilem ob substantiæ tenuitatem citius ac faciliùs, quam sanguinem posse exscreari, nam ob eandem tenuitatem excretionem potius subterfugere, & sæviora symptomata tanquam biliosis morbis communiter juncta, producēre, nemo inficias ibit.

RATIONE SYMPTOMATUM. Sicca pleuritis & sine sputo est gravissima. *Hippocr. coac. 381.* Dein malum portendunt vires dejectæ. *Galen. 3. porr. 4.* Strepitus sputi in pectore, vultus demissus, oculus aurigine suffusus, & caligine obductus, sputum nigrum, spumosum, & fœtidum. *Coac. prænot. 390.* Delirium *Galen. libr. 2. de diff. respir. 8.* Singultus. *Hipp. libr. 3. de morb.* Dolor initio levis, quinto vero vel sexto die ingravescens. *Coac. 387.* Alvi denique profluvium. *Hipp. 6. aph. 16.* quod tamen sano sensu est intelligendum: moderatam enim pleuritidi supervenientem diarrhæam salutarem esse *Nobiliss. Dn. Rolfincius lib. 2. Epit. cap. 3.* duobus exemplis ex *Valeriolæ* observationibus adductis confirmat: & *Zac. Lusitan.* simile exemplum enarrat. *Lib. 1. de Prax. Med. admirand. obs. 114.*

BREVITATEM & LONGITUDINEM quod attinet, eam desumere poterimus *ex morbi ideâ:* ex acutorum enim numero quum pleuritis sit brevem quoque terminum habebit. Ordinarium liberationis terminum subinnuit *Hippocrates 5. aphor. 8.* *Qui morbo laterali laborant, nisi intra dies quatuordecim repurgentur, iis in suppurationem deponitur.* Interdum tamen citius terminari contingit, ut idem notavit *Hipp. in prænot. libro, morbum verò,* ait, *ægre sustinere, spirationem magnam & densam esse, dolorem minime sedari, sputum ægre rejicere, vehementem sitim esse, corpus à febre inæqualiter detineri, alvum quidem & latera vehementer calere, fronte, manibus, & pedibus frigidis, urinas verò & alvi excrementa & somnos, & sudores, unaquæque qualia descripta sunt, mala esse nosse convenit. Si quid enim ex his sputo supervenerit, morietur*

æger

æger priusquam ad decimum quartum diem perveniat. Citius ad finem deducitur pleuritis vera, tardius spuria.

2. *A morbi causa:* citius terminatur, si fovetur ab humoribus calidis, tardius si à frigidis.

3. *A signis cruditatis & coctionis.* Memoriæ hoc prodidit *Cous 1. aph. 12. Sputum si statim circa initia subappareat, morbum brevem, si verò posterius videatur, longum futurum denuntiat. Urina quoque & alvi excrementa, & sudores ubi apparuerint, judicatu faciles, vel difficiles, & breves vel longos fore morbos indicant.*

4. *A modo eventus.* Perfectè quæ terminatur Pleuritis, citius finitur: quæ imperfectè, tardius. *Qui enim ex pleuritide empyici evadunt, si in quadraginta diebus repurgentur à die quo ruptio facta est, liberantur, alioquin in tabem transeunt, 5. aphor. 12.* Exemplum habet *Riverius cent. 1. obs. 29.* de juvene viginti annos nato, in quo febris producta fuit usque ad trigesimum quintum diem, succedente empyemate, qui tamen aperto thorace & pure copiosè educto sanatus. *Hildanus C. 5. obs. 31.* duas adducit historias, unam de virgine non rectè curatâ, ubi dolor gravativus remansit in latere affecto, succedente post tres menses febre acutissimâ novâ, quâ materia vitiosa ad omnes ferè totius corporis articulos fuit cum dolore protrusa, ortusque inprimis in genu dextro tumor, & dolor satis gravis, qui diutius perduravit: Alteram de aliâ virgine, cui post aliquot menses à decubitu, quum tussis & dolor remansissent, venter circa finem costarum verarum fuit apertus & pus copiosum eductum.

Modum Eventus quod concernit, pleuritis termi-

minatur vel ad MORTEM per suffocationem, vel ad VITAM & quidem vel *perfectè*, vel *imperfectè*.

PERFECTE per *eductionem* humoris, & *suppurationem*: educitur autem humor interdum per insensilem transpirationem vel sudorem, sæpiùs per sputum, rarò per alvi, vel urinæ fluxum. Per *insensilem transpirationem* & *sudorem* terminationem ostendunt, causa morbifica tenuis, calida, benigna & pauca, præsertim in corpore raro, & valido. *Per sputum*, materia benigna, nec admodum copiosa, sputa laudabilia in principio & facilè elevata. Per *alvum* & *urinam* rarò, uti dictum, humores in pleuritide ejiciuntur, quoniam via eò difficilis est: si verò accidat, materiam per circulationem ad cor retrovehi, & exinde per arterias mesentericas ad intestina, vel per emulgentes ad vesicam transportari, vel in urinæ exscretione, per communionē venæ *ἀζύγȣ* cum emulgente, primo à *Nicolao Novocomensi* inventam, & à *Fallopio* stabilitam, evacuationem institui, ex *Nobiliss. Dn. Rolfincio libr. 2. Epit. cogn. & curand. cap. 3.* affirmamus. Perfectæ criseos per hæmorrhagiam narium & urinam cruentam meminit *Zacutus libr. 2. prax. hist. obs. 9.* *Suppurationem* verò imminere intelligemus, si pleuritis sit magna, si dolor fixus in loco maneat, vel etiam unà cum febre intendatur, si præterea sputum non procedat, aut omninò paucum sit quod excernitur, idque maximè sanguineum nec malignum, si quoque difficilis & cruda inflammatio plus justo maneat, nec juvetur ab evacuantibus & aliis remediis quæ suppurationem impediunt. Cùm verò jam fit suppuratio, certa *secundum Argenter. libr. de consultand. rat.* adsunt indicia ex rigo-

rigore, qui necessariò omnes internarum partium suppurationes comitatur. Quod si verò humor impactus non in pus, sed putredinem vertatur, augentur signa lethalia, & abeunt quæ salutem aliquam promittebant, apparetque latus lividum, aut nigricans, aut virescens.

IMPERFECTE terminatur hic affectus per *μετάπτωσιν* in *Tabem*, teste *Hipp. sect. 5. aph. 15.* Si post suppurationem & eruptionem puris quadraginta diebus non repurgentur, qui laborant, in tabem transeunt: Vel per *ἐπιγένεσιν* in *Empyema Hipp. libr. 1. de morb.* interdum etiam in *Peripneumoniam Hipp. libr. de aff.* rarò tamen *innuente Gal. 7. aphor. 17.* Rarò autem hoc contingere docet *Hieron. Mercurial. libr. 2. de affect. thorac. cap. 6.* ideò quod, si pleuritis magna, prius jugulet quàm convertatur in alium morbum: sin exigua, perfectè solvatur: sin medio pacto, ex succis pituitosis & crassis constet, indeque potius in Empyema quam in peripneumoniam transeat.

Expectandum autem est *Empyema* secundum *Gal. comm. 2. in libr. de nat. hum.* si dolor lateris non mitigetur, neque per sputum, neque per alvum, neque per usum rectum medicamentorum. *Peripneumoniam* successuram indicant pulsus solito crebriores, & molliores, calorque in cavitate pectoris vehementior: Accedit sitis & genarum rubor, dolor latus infestare desinit, spiratio tamen difficilior, & febris vehementior redditur. *Argenter. libr. de consult. rat.*

Cognitâ perspectâque morbi indole, ac moribus ejus rite exploratis, proximum erit, ut quâ ratione, ac methodo hic affectus sit curandus, videamus. Quod, ut

recte fiat, Indicationes, quippe quæ Medico dogmatico rectæ curationis sunt monstratores, perpendendæ.

Hæ igitur INDICATIONES sumuntur à *Morbo*, *Causa morbi*, *Symptomatibus*, & *Viribus*. Et morbus quidem, quùm sit intemperies, alterationem, Causa, remotionem, Symptomata, mitigationem, Vires, conservationem postulant.

Cœterùm quùm morbus, nisi caussâ ejus sublatâ removeri nequeat, illa primum aggredienda est, & variis remediis, pro ratione humoris influentis, influxi sed nondum fixi, & tandem impacti oppugnanda. *Galen. 13. meth. med. cap. 2.*

Primò itaque influens, & adhuc in motu persistens humor revellendus, illapsus & nondum fixus derivandus, discutiendus, & quoquo modo è parte tollendus, fixus verò si resolvi nullo modo possit, maturandus, & evacuandus.

Notandum autem, quod, etsi influens humor nonnunquam repulsionem indicet, tamen in pleuritide, ideò quod inflammatio à motu sanguinis introrsum non sine magno ægri discrimine momentum haud mediocre caperet, minime sit adhibenda.

MATERIA PRÆSIDIORUM hauritur ex tribus consuetis fontibus: *Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico.*

CHIRURGIA offert generosum venæsectionis remedium, de qua, an, quando, & ubi locum habeat, merito inquirendum.

An conveniat, anxiè non disceptandum, quùm Pleuritis sit morbus acutus, & à defluxione sanguinis ad pleuram dependeat. *Adeò necessaria*, ait *Riverius*, *est venæse-*

næse-

næsectio in hujus affectus principio, ut nunquam omitti debeat, & in senibus, pueris, gravidis mulieribus, puerperis, & menstruas purgationes patientibus; quibus omnibus experientia docuit phlebotomiam, præsente hoc affectu, fuisse utilissimam.

Quando administranda, ipsa defluxio notat, utpote quæ statim in ipso principio revulsionem, & in progressu derivationem desiderat. Si tamen ea in principio fuerit omissa, aut non sufficienter celebrata, etiam post septimum, nonum aut undecimum venam aperire licet, exemplo *Hippocratis qui 3. Epidem. Anaxioni, octavo die* venam secuit, vel quod citius non fuerat vocatus, vel quod in pleuritide crudissima, quæ undecimo die vix coqui cæpit, morbus inducias tulerat.

Ubi seu *quo in loco* reseranda sit vena, inter authores non convenit, dum alii in latere affecto, alii in opposito eam instituendam esse contendunt. Contentio eâ de re olim cum inter Græcos & Arabes, tùm postea inter Italos, Gallos, Hispanos & Germanos fuit acerrima, adeò ut ad magistratum res fuerit delata, qui tumultuosas istas disceptationes auctoritate suâ sopiret. Variorum authorum sententias collegit *Sennertus*, concludens tandem, in principio statim ob revulsionem in parte oppositâ, & demum ad derivationem in brachio lateris affecti venam esse aperiendam. *Julius Scaliger* suis observationibus *in comm. in libr. Hipp. de insomniis* olim idem corroboravit: *Jam duodecim viginti annos, ait, non nisi unum vidimus, ex eadem parte incisâ venâ evasisse. Et sane corpus erat athleticum, ut etiam magis miraremur. Verùm scimus multos etiam sine phlebotomia fuisse sanatos. At plus octoginta redegimus in com-*

mentarium, quinto abhinc anno, qui omnes eo curandi genere sunt extincti, quum plus quingenti his duodecim annis evasissent, quibus in adverso cubito vena aperta fuerat.

Fabricius Hildanus verò suâ experientiâ contrarium propugnare nititur, affirmatque se omnes pleuriticos curasse venæsectione in brachio lateris affecti institutâ, nec unum ex illis interiisse; pejus autem habuisse, quibus sanguis in brachio opposito fuisset subductus.

Lazarus Riverius in praxi medica eandem defendit sententiam, dicitque sanguinem detrahendum esse statim ab initio è basilica ejusdem lateris, idemque in suis observationibus sæpius cum fructu imitatus est.

In hac summâ sententiarum contrarietate, certi quid statuere, & uni palmam tribuere perdifficile est, quùm quivis non rationibus, sed ipsâ rerum magistrâ experientiâ suum muniat effatum. Existimamus tamen totam hanc controversiam posse componi, & utrumque curationis modum locum habere, modò sequentes observentur cautelæ. Nimirum potest revulsionis gratiâ in principio morbi vena in brachio lateris oppositi, & sequenti die in latere affecto derivationis ergò vena secari. Vel potest statim in brachio lateris affecti vena aperiri, ita tamen, ut aliquoties ista apertio repetatur. Et hac ratione non solùm derivationem sed quoque commodè revulsionem fieri posse putamus. Nam cùm arteria sanguinem ad pleuram deducens sit thoracica, & hæc cum brachiali ex eodem trunco, axillari nimirum oriatur, quis non videt, quòd sectâ in brachio venâ sanguis evacuetur ex arteria brachiali, & ita revellatur fluxurus ad thoracicam, adeoque ad ipsam

pleu-

pleuram. Vena, inquiunt authores, quæ revulsionis ergo aperitur, debet consensum cum parte mittente habere, & esse è directo partis recipientis, ut affluxurus sanguis ad contrariam partem revocetur, & impetus iste sistatur. Jam verò non solùm venæ brachii oppositi, sed & lateris affecti consensum habent, hæ quidem propinquiorem, illæ verò remotiorem: unde revulsio quidem fit ex venis brachii oppositi, sed ad totum venosum genus materia affluxura revellitur, ibique sanguineæ massæ admixta permanet, donec vel alio modo à natura vinci, vel per alias conventiores vias evacuari queat; ideoque hæc revulsio est debilior. Ex venis verò brachii lateris affecti propinquior est revulsio, & statim fit ex arteria sanguinem ad pleuram mittente, & sic non solùm sanguis ad pleuram affluxurus ad brachium revellitur, sed & maxima ex parte simul evacuatur. Proinde hic fieri videtur laudabilior revulsio, cum non solùm sanguis vitiosus revellatur, sed simul evacuetur, id quod eleganter demonstravit *Clariss. Conringius libr. de gen. & motu sangu. cap. 39.*

Quùm tamen sanguis peccans queat esse copiosus, copiosior quoque educi debet è latere affecto, ne si non sufficiens eductio instituta fuerit, reliquus ad partem affectam præcipitetur, majores daturus turbas. Imò si in principio medicus non fuerit advocatus, aliquot dies præterierint, affluxus jam cessarit, & vitiosus sanguis jam in pleura hæreat; in parte opposita secta vena nihil prodesset, in latere affecto adhuc cum insigni fructu aperiri posset. Si verò vel diminute fluentibus vel nuper obstructis mensibus in fæmina pleuritis superve-

niat; saphenam pedis ejusdem lateris & dein in brachio aperire præstabit.

Quantum sit sanguinis evacuandum, morbi vehementia, plethora, vires & ætas indicabunt. *Hildanus* in matrona Bernensi uncias circiter decem evacuandas præcipiebat. *Mitti*, ait, *Riverius* debet sanguis singulis diebus, donec dolor & febris multo mitiores evaserint, imo vero interdum bis in die quum peracuta pleuritis est. *Hipp. 2. de rat. vict. in acut. t. 10.* regulam hac de re in praxi utilissimam posteritati reliquit, nimirum ut mittatur sanguis usque ad coloris mutationem. Si nimirum primâ aut secundâ phlebotomia sanguis appareat crudus, pituitosus, aut aquosus, continuanda singulis diebus, aut bis in die evacuatio, donec sanguis detractus rubicundus appareat aut flavescens. Si verò in principio ruber appareat iteranda toties phlebotomia donec lividus aut niger appareat. Significatur enim, sanguinem illum posteriorem à parte affecta aut venis ipsis vicinis effluete, qui quidem à calore partis inflammatæ alteratus est, & ex crudo ruber factus, vel ex rubro niger, aut lividus per adustionem. Aliquando tamen addit *Riverius cap. de pleurit.* illa coloris mutatio pertinaciter expectanda non est, sed prius à sanguinis missione desistendum, quum videlicet aut vires sunt debiles, aut æger habitu raro, aut valde resolubili præditus, aut tempus anni calidissimum. *Zacutus l. 2. prax. hist. obs. 1.* in rustico quadragenario tres libras sanguinis unâ vice evacuabat, & ita sævissimam pleuritim citò sanabat.

Abstinendum tamen interdum & à venæsectione, ut in pleuritide mitiore, de qua locus *Hipp. 6. epidem. in fine* intelligendus: *In cruenta spuentibus, sanguinis detra-*

ctio-

ctionem prohibent anni tempus, lateris dolor, bilis. Galenus comment. in hunc locum adducit Historiam de quodam qui leviori pleuritide laborans sine venæsectione curatus est. *Scaliger. in comment. in libr. Hipp. de insomniis*, qui locus supra citatus, testatur multos etiam sine phlebotomiâ fuisse sanatos. Imò ubi nulla adest plethora, febris non acuta, dolorque mitis, omnino curationem sine venæsectione tentandam esse statuimus, quâ de re habet *Zacutus l. 2. de med. Princip. histor. 22.* Hæ circumstantiæ si adsunt, Helmontii effato subscribimus, curationemque omnem sine venæsectione, solis specificis peragendam esse ambabus largimur manibus. Ubi autem fortis adest plethora, antea latam sententiam defendimus.

Hippocrates libr. de morbis aliam addit cautelam: *si quidem dolor*, ait, *ad jugulum de se significationem præbeat, ad brachium verò & circa mammam & supra septum transversum gravitatis sensus insit, internam in cubiti flexu venam secare, & quam citissimè copiosum sanguinem detrahere convenit: sin verò eos quæ sub septo transverso sunt partes, dolor affligat, nullamq; ad jugulum de se significationem præbeat, alvum vetratro vel peplio emollire oportet.* Idem sub finem hujus libri iisdem fere verbis repetit. Huic sententiæ favet *Aëtius tetrabibl. 2. serm. 4. cap. 68. & 96.* innuens, quosdam medicos errore seductos venam cubiti secuisse ægrosque jugulasse.

In malignâ tandem pleuritide præstat rem alexipharmacis, specificis antipleuriticis mixtis quam curiosa venæsectione curationem instituere, ne malignitate ad interiora retrocedente ægrotus in periculum præcipite-

pitetur, & mors sequatur, quod *Riverio* contigit in fæminâ quadam pleuritide maligna laborante, quæ à venis crebro sectis obiit. *C. 1. obs. 72.*

CUCURBITULAS interdum hic locum habere non est dubitandum, quando nimirum affectus est levis, atque per ætatem, vires & alia de causa ad venæsectionem devenire non consultum. *In declinatione* etiam, ut suadet Riverius, post purgationem & febrem valdè imminutam, si dolor perseveret, admoveri poterit ipsi parti dolenti cucurbitula cum scarificatione. Imò & sequenti die iterum applicari ad sanguinem denuò extrahendum. Possunt etiam applicari ante declinationem post iteratam phlebotomiam bis aut ter. Et si dolor augeatur, vel redeat post aliquot tempus, iterum secabitur vena, & post applicabitur cucurbitula. Idem *in cent. 3. obs. 39.* profundâ scarificatione vidit materiam purulentam copiosam educi.

CAUTERIUM *Zacut. Lusit. l. 2. prax. histor. obs. 5.* in pleuritico, in quo vena erat secta, scarificatio celebrata fomentaque adhibita, dolor intensus adhuc die vigesimo urgebat, cum fructu admovit.

FRICTIONES & LIGATURÆ extremorum in revellendo nonnihil quoque levamenti afferre poterunt.

PHARMACIA chirurgiam excipit, remedia tam interna quâm externa depromens. Ante omnia autem Clyster emolliens injiciendus, si tamen affectus valde urgeat, plethoraque adsit, à venæsectione demum id curandum ut primæ laxentur viæ, sordibusque eductis futuris remediis aditus fiat facilior. Ut,

℞. *Rad.*

℞. Rad. alth.
lib. alb. an. ℥j.
fol. malv.
alth.
parietar.
mercurial.
flor. melilot.
violar. an. Mß.
sem. lini
fœnugr. an. ℥ß.
Coqu. in s. q. aqu.
℞. Colat. ℔j.
caßiæ pro clyster. ʒvj.
diaprun. solut. ℥ß.
ol. violar.
chamæmel. an. ℥j.
M. f. clyster.

℞ Fol. parietar.
violar.
brancæ ursin.
flor. chamæm.
melitot.
malv. an. Mj.
sem. lini
fœnugr. an. ℥ß.
Coq. in s. q. lact. caprini, vel juris carnium.
℞. Colat. ℔j.
ol. lilior. alb. ℥ß.
caßiæ extr. ʒvj.
⊖lis ʒß.
M. f. Clyster.

Si æger sit delicatulus, & à Clysterum usu abhorreat, lenientia per os danda.

℞. Cremor. ♀. ℈ß.
succi vel extracti. viol. per se inspissati ℈j.
solvantur in brodio carnis
D. calide.

℞. Cremor. ♀. ʒß.
mannæ calabrin. ℥ß.
solve in seri caprini s. q.
D. calide.

Augustus Thonerus l. 2. obs. med. præ cæteris commendat ol. amygdal. dulc. in jure galli vel cum saccharo sumptum, tam ad solvendam alvum, quàm ad dolorem leniendum. *Rodericus à Fonseca* oleum lini extollit.

VOMITORIIS hanc gravem pleuræ calamitatem tentare, multis practicis est religio. *Rulandus* tamen, & *Hartmannus* aquam benedictam sæpius cum fructu exhibuere. *Riverius in obs. communicat. 29.* hoc remedii genus quoque commendat: *omnes pleuritici*, ait, *qui vomunt statim in principio morbi evadunt, ut in infinitis observavi, levatâ pleurâ ab humorum sarcina vomitus beneficio.*

PURGANTIA ne febris augeatur, & humores ad partem affectam magis præcipitentur plurimorum consilio fugienda. *Rulandus* tamen cùm extracto esulæ, tum etiam aquâ suâ benedicta, copiosè & quidem felici cum successu, suos purgabat pleuriticos.

Cent. 1. curat. 18. hoc. habet.
℞. Extract. esulæ. ℈ij.
seri lactis ℥iij.
F. haustus, quo rectè evacuatus est, & ore & alvo, meliusq; habuit.

Cent. 1. cur. 23.
℞. Aq. benedict. ℥j.
fontan. ℥vj.
sirup. viol. ℥ß.
M. pro potu, quem frigidè bibit, oreq; & alvo rectè evacuata est ægrota.

Hippocrates lib. 2. de rat. vict. in acut. t. 11. purgationem quoque cum peplio & veratro in descendente pleuritide (id est, quando partes sub septo transverso dolor infestat, nullumque ad claviculam signum fecerit) expresse commendat. Idem subinnuit. *2. prognost. 52.* ubi in pleuritide usus est eclegmatis, ventris subductione, venæsectione, diæta, & medicamentis, per quæ autem non intelligit fomenta, sed purgantia: nam per medicamentum absolutè ab eo vocatum purgans debet intelligi, ut constat ex *1. aph. 22. & 4. aph. 10. Galenus l. 4.*

acut.

acut.76. hanc quæstionem ita determinat, & ait: *nam vel statim ab initio priusquam in partem aliquam firmati sint humores, medicandum, vel postea cum concocti fuerint. Quam ob causam prima interdum die, & secundâ & quartâ, & interdum quintâ medicati sumus, & non in quartâ solùm. Zac. Lusitanus Augenii, Vallesii, Mercurialis, Heurnii & Dureti* rationibus in contrarium allatis discussis, tandem concludit, convenire purgationem vel *ut remedium revulsorium*, quod tamen statim in ipso principio exhibendum sit, prævia quidem prius decenti venæsectione, vel ut *remedium eradicativum* in declinatione nimirum, & cum humor noxius tum in vasis, tum in parte phlegmone obsessa impactus concoctus fuerit.

In morbi augmento tamen, & quando jam sputum rite rejicitur, non temerè purgatio administranda, hoc non advertens quidam Medicus, *ait Zacutus l.1. de prax. admirand. obs. 116.* qui licet videret ægrum pleuritide affectum, in octavo die morbi constitutum, cum conferentia, per sputum sequuta vacuatione multa, eum tamen expurgavit, solâ febris vehementiâ perterritus, qui assumpta potione ex Rhabarbaro & Diaphœnico paratâ, cohibito sputo, acutâ febri, dolore intensiore facto post quatuor dies è vita migravit. Sic mortuus est *Scomphus libr.5. epid. num.3.* de quo sic habet *Hippocrates.* Scomphus in Oeniadis pleuritide correptus, mortuus est septimâ delirus. Pharmacum autem bibit infra purgans, priore ante potionem die mentis compos erat; & purgatus est non multum, quum autem purgaretur, deliravit. &c.

Eligenda autem sunt leniora, ut tamarindi, cassia,

 rha-

rhabarb. cum syrup. rosar. & violarum solutivo, mechoacanna, senna, interdum aliquid agarici addēdum. ♁ Antimoniatum commodè admisceri poterit.

ALTERANTIA non sunt negligenda, & dirigenda ad humoris peccantis alterationem: Materia si sit nimis acris, mitiganda, si tenuis incrassanda, nimis calida refrigeranda, eaque quæ dolorem nonnihil leniunt admiscenda

℞. *Aq. papav. rhœad.* ℥iiij.
sir. violar. ℥j.
⊖lis prunell. ʒß.
F. Julebus.

℞. *Amygdal.* ℥j.
sem. 4. frig. maj. an. ʒß.
sem. card. mar. & papav. alb. an. ʒij.
f. l. a. Emulsio cum s. q. aqu. papav. rhœad.
Edulcoretur sir. viol.
adde magist. corall. perlar. an. ℈j.
M. D.
S. Stärckmilch.

℞. *Aq. tussilag.*
papav. rhœad.
an. ℥ij.
acetos. ʒij.
sir. viol. ℥j.
spir. ɜ. min. q. s. ad saporem.
M. F. Julebus.

℞. *Aq. papav. rhœad.* ℥iiij.
amygdal. dulc. ℥ij.
F. Emulsio.
Edulc. man. Christ. perl.
adde dentis apri præp. ℈j.
M. D.
S. Milch umbzurütteln.

ANTIPLEURITICA SPECIFICA etiam vel statim à venæsectione, vel in progressu morbi offerenda.

Helmontius tantùm hisce tribuit, ut si vera eligantur, omnem pleuritidem, & peripneumoniam iis sine omni venæsectione sanari posse contendat. In primis magni æstimat pulverem de priapo cervi vel tauri vel cruorem hirci, vel succum cichorii sylvestris, & similia.

Hir-

Hirci cruorem hoc modo colligendum ſuadet: hircus ſuſpendatur cornibus, teſtes reſecentur, & cruor inde uſque ad mortem emanans colligatur.

Ab aliis commendantur ſemen cardui mariæ, carduibened. cortex avell. rubr. lapid. cancrorum, dens apri, caſtoris, lignum viſci querni, mandibula lucii cum dentibus, & crux in capite ejus inventa, lapides carpionum, percarum, talus leporis, capreoli, ſperma ceti, corallia rubra, ⊖ hyperici, bezoarticum minerale, antimon. diaphoret. Spir. ♀. mixt. ſ. fl. 🜍. ⊕. anodyn. ⊕ corallisat. ſp. 🜍. ⊕ ♀ri.

Celebratisſima quoque eſt tragea pleuritica *Quercetani*, & ſuccus chamælionis *Philippi Melanchtonis*, quo ſe plures reſtituiſſe refert.

Quercetanus porrò in *pharmacop.* laudat pomum excavatum, & thuris maſculi ʒj repletum, & ad ignem coctum, quod æger deglutiat ſuperbibendo aqu. card. bened. ℥iij. poſtea lectulo benè munitus ſudet. Hoc remedium poſt tertium diem uſurpandum eſſe vult, eoque aſſerit multos fuiſſe reſtitutos.

Flores buxi adeò ſanguinem purgare feruntur, ut ſi eorum pulveris ʒj. cum aq. papav. rhœad. exhibeatur & ſanguis poſt horam mittatur, is floridus deprehendatur.

Riverius cent. 2. obſ. 89. pleuritico fuliginis camini pulveriſati ʒß. in aq. cardbenedicti exhibuit, à quo multum lexatus eſt, & poſtea ſenſim convaluit.

Rulandus Cent. 1. curat. 59. hoc ſolo reſtituebat pleuriticum: ℞. fl. centaur. min. Mij. rad. aſari ℥iß. Coqu. in

ſ. q. aquæ ad dimid. Ex hoc decocto quotidiè dedit ℥v. calide, & copioſo ſudore provocato ſanatus eſt. Alibi uſus eſt ſolo decocto cardui benedicti ad 8. dies.

EXPECTORANTIA toto morbi decurſu ſimul per vices admiſcenda, ut tuſſis leniatur & materia ad exitum faciliorem diſponatur. Æger frequenter in ore ſaccharum roſac. violac. vel ſi materia ſit nimis tenuis tabellas diatragacanthi frig. teneat, vel utatur ſyrupo violac. jujubin. de glycyrrh. pſyllio, tuſſilagine.

In tenui materia.	*In craſſa materia.*
℞. *Sacch. penid.* ℥j.	℞. *Sir. capillor. ven.*
rotul. diaireos ſ.	*de glycyrrh. an.* ʒj.
diatrag. frigid.	*de tuſſilag.*
an. ʒij.	*oxymel. ſ. an.* ʒvj.
paſſul. enucleat. ℥ß.	*M. D.*
ſem. malv. ʒj.	℞. *ol. amygd. dulc.*
papav. ʒß.	*oxymel. ſ. an.* ℥ß.
M. Cum ſ. q. ſir. viol. pro	*ſacch. penid. q. ſ.*
formâ linctus.	*M. F. loboch.*

DIURETICA commoda eſſe poſſunt, quia ſæpiùs natura ſponte per urinas purulentam materiam evacuet, quale exemplum habet *Zacutus libr. 1. de prax. med. admirand. obſ. 118.* & *Fabric. Hildanus C. 1. obſ. 31.* Imò & ſanguinis motu critico pleuritis fuit ſoluta, ut habet idem *Zacutus libr. 2. prax. hiſt. obſ. 9.* Convenient decoctum 5. radic. aperient. capillus ven. glycyrrh. cicerес rubr. therebinth. ſpir. ⊖ ⏀ & alia.

NARCOTICA, quidam practicorum, urgente dolore & vigiliis, ut philonium Rom. laudan. opiat. ſirup. d. papavere ægrotis propinare ſolent. Verùm cautè hæc ten-

tentanda esse putamus, ne sputum reprimatur & æger in vitæ periculum præcipitetur, quod contigit pleuritico cuidam apud *Zacutum l. 1. de prax. med. adm. obs. 115.* qui licet in declinatione esset constitutus, obiit tamen ex usu philonii ad ℥ß. assumpti. Aqua tamen chamæmeli & papav. rhæad. tutiora esse queunt in eum scopum remedia.

TOPICA levem pleuritin sæpe sola tollunt, graviorem sublevant partim dolorem leniendo, partim materiam resolvendo, & ad exitum promovendo.

℞. *Ol. lilior.*
chamæmel.
amygd. dulc. an. ℥j.
butyri rec.
axung. gallin. an. ℥j.
M. F. linimentum.

℞. *Ungu. dialth. ℥ß.*
pulv. rad. ireos. ʒß.
ol. amygd. dulc.
medull. crur. vituli an. q. s.
M. F. linimentum.

A cerâ, & mucilaginibus, cùm obstruant poros, abstinendum.

Si maligna, & pestilens sit pleuritis ol. scorpion. Matthiol. vel theriacæ modicum linimentis sociandum.

Linimentis fotus convenientes succedere possunt.

℞. *Rad. alth.*
lil. alb. an. ℥ij.
fol. malv.
violar.
parietar. an. Mj.
sem. lini
fœnugr. an. ℥j.
fl. chamæmel. violar.
sambuc. melilot. an. p. j.
M. Coq. in lacte
F. Fotus.

℞. Rad.

℞. *Rad. lilior. alb. No. j.*	*Coq. ad mollitiem cum lacte*
fol. alth. Mj.	*adde pulv. flor. chamaemel. ℥j.*
flor. hyper.	*ol. amygdal. dulc. vel*
verbasc. an. Mß.	*axungiae anserinae q. s.*
sem. lini ℥j.	*M. F. Cataplasma.*

Gallina viva per spinam secta, pulv. ireos flor. conspersa & admota adhuc calens, multum prodest.

Omentum vervecis recenter extractum & adhuc calens adhibitum optimum dicitur esse anodynum.

Ol. ceræ linimentis cum fructu potest admisceri.

In eundem finem ad reliquias materiæ morbificæ discutiendas applicari potest emplastrum de sulphure, vel de baccis lauri.

Si à febrili æstu linguæ accedat ariditas, & ei succurrendum. *Rulandus* hoc usus est gargarismate: ℞. Sempervivi Mij. Coqu. in aqu. ℔ij. ad tertias. Colaturæ adde aceti. ℥ij. F. Gargarisma, eoque sæpius calide utendum.

DIÆTA accuratissimè observanda. Aër sit temperatus: frigidus enim pectori inimicus. Victus sit tenuis & refrigerans, & parcior usque ad statum, à statu verò plenior. Convenit cremor ptisanæ, juscula pullorum, item poma Borstorfiana exsiccata cocta & cum saccharo condita. *Zacutus libr. 1. de prax. med. adm. obs. 119.* seni cuidam ex pleuritide empyematico febre assidua, tussique sicca laboranti lactis asinini potum per tres menses cum fructu obtulit. A statu ad carnes pullorum gallinarum, aviumque montanarum transeundum. Acetum aliaque constringentia devitanda, ne sputum cohibeatur & periculum accersetur, quod contigit pleuritico apud *Gal. libr. 1. de vict. rat. in acut. comm. 27.*

qui

qui licet jam esset in declinatione, ex lenticula tamen cum aceto confecta assumpta sputo represso suffocatus est. Decoctum tamen seu jus primum de lentibus *Zacutus* commendat.

In Potu vinum durante febre non admittendum. *Hippoc.* quidem pleuriticis vinum dulce commendat, detur autem non nisi morbo jam manifestè declinante.

Cerevisia sit tenuis, vel sumatur decoctum hordei, liquiritiæ, papav. rhæad. cum rasur. C. C. passul. en. cui aliquot gutt. spir. 3. miner. instillari possunt.

Somnus, motus, quies, omnia sint moderata. Alvus si suo non fungatur officio, clysteribus sollicitanda.

Animi perturbationes, inprimis ira, terror, timor fugienda.

ADversus laterale malum qui bella moventem
Te video, erectis superantem & prælia palmis,
arma virumque cano. Tua sit victoria victis
opprobrium. Immortale decus, ventura, corollam,
Fama, Tuo capiti ex merito superaddat, & almæ,
Caleni, Patriæ de Te spes clara secundet.

συγχαίρων adponebat

Joh. Theodorus Schenck, M.D.P.P.
Academiæ h. t. Pro Rector. Fac. Decanus.

Caleni, *Aonidum decus immortale sororum,*
dum virtutis amor te invitat ad ardua, nec non
sublimem adscendis magnâ cum laude cathedram;
ex animo tibi gratamur: votisque Parentis,

In cano senio, & longis venerabilis annis,
nostra quoque ingerimus: FELICITER OMNIA CEDANT
obviaque Clariis te cingat adorea sertis.

εὐφημίας ἕνεκα adponebat
Guernerus Rolfinck, Phil. Med. D. P. P.

QUando depromis peracuta pleuræ
tela de doctâ cathedrâ, CALENI,
tot peractorum meritò laborum
praemia poscens;
mente quid volvam, mea vel ferant quid
vota? quâm virtute replere possis
nomini gratum quod inhæret omen,
sisque GALENUS.

Quod ex animo precatur
PRÆSES.

P*Ræfixam ad metam,* Caleni, *proximus adstas.*
Inde brevi laurus cinget honora comas.

Clarіs. Dn. Doctorando, civi, convictori, amico singulariter habendo, bonæ scævæ ergò apponeb.
Philippus Horst Brunsvigas, Prof. Publ. Facult. Philos. & Academiæ totius Senior.

PHœbigenos inter juvenes celeberrima proles,
quâ mage vix caram terra Brunonis habet.
Sacra quod assiduus studio fervente Galeni
quæris, & Hippocratem sedulus arte colis,
Hinc tibi puniceam concedit Apollo Tiaram,
sæpiùs ut trito pulvere victor eas.

Clarissimo Dn. Doctorando, Fautori & consalino suo honoratissimo animitus gratulatur
Henning Pape.

Her-

HErbis & verbis Medicorum est pellere morbos;
Sic poterunt omnes verè ſanare dolores,
Si rectè norunt ægris adhibere medelam.
Hanc artem quoque Tu didiciſti Clare CALENI:
Perge Machaoniis porrò ſic artibus uti,
Et modò cura ægros rectè, atque precare, ſequentur
Fructus perdulces, ac Gloria, Præmia, Fama.
Ergo Tuis cæptis adſit ſupremus Jöva,
Ut ſcandas cathedram felix, felixq́ recedas.
Vive Tuis tandem, totumq́ vireſce per orbem!

Quibus exiguis
Clariſſimo Dn. Doctorando Commenſali atque
Amico ſuo faventiſſimo animitus gratulatur
Chriſtoph. Erneſtus Taube/ *Helmſtad.*

MOrtalium quo pluribus malis vita
Obnoxia eſt, & mille ſemper expoſta
Morbis; eo Medicina laude majori
Digna eſt, nec ejusdem peritus eſt parvi
Faciendus, orbi cum ſalutifer toti
Arcana Naturæ latentia indagans
Valensque perſanare corpus ægrotum.
Talem, *Caleni*, Te Virum eſſe teſtaris,
Scientiam dum publice tuam profers
Morbis medendi, tetricamque deformas
PLEURITIDEM. Si pergis, ominor certe:
Brevi Galenus ex Calenio fiet.

Hiſce levidenſibus Clariſſimo Dn. Doctorando,
Convictori ac Amico ſuo pl. honorando de
ſupremis in Medicina honoribus ex ipſa
animi mente gratul.
Autor Dammann/Brunovic:

REm facis egregiam, qui Palladis atria scandis;
Spes patriæ dulcis deliciumq́; tuæ.
Sic Themis ipsa tibi donabit præmia digna,
Quæ dotes animi promeruêre tui.

Gratulabundus commensali ac amico suo
dilecto apposuit.

Joachim. Friederic. von dem Knesebeck/
Nob. Lunæburg.

ARrectam *pulcro* mentem (namque ardua *pulcra*)
Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Hinc quam sis merito dictus cognomine *Pulcer*,
CALENI, Grajis, ardua cœpta docent;
Cœpta, sagax *pulchrum* PLEURITIDIS, unde sororem
Tertia se Decimæ litera Graja dabit.

Ita ad Clariß. Dn. Doctorandi conterranei
& commensalis sui nomen alludere
voluit

Petrus Camps Brunopolita.

PAllas ermunter' dich/ und schawe wer dich liebet/
Beziere mit dem Krantz/ der sich dein gantz ergiebet;
Der stetig steiget nach des Glückes höchste Spitz/
Vnd dem der frische Geist im kämpffen hat erhitzt.
Neptunus zeige dich! Apollo muß bestrahlen
Den Kunst-ergebnen Held/ und allezeit abmahlen
Durch Schatten seinen Leib; So lange denn auch muß
Minerva seyn dabey/ so lang' Calenius.

Mit diesen wenigen hat bey dem Hochge-
Ehrten Herrn Tischgenossen seine
Schuldigkeit ablegen wollen

Matthias Arendts.

F I N I S.